

nomen harum institutionum medicarum, quod nomini auctoris ipsius respondeat, esse *Tybb-el-akbar* (in titulo qui iudici argumentorum praemissus est, legitur *Tybbi-akbari*); item opus versum esse e libro arabico *Schem'-esbāb we-'alāmāth we-muāledjāth*, et, ubi opus esset, auctum ex Avicenna, Aqserāyo et Sedīdio, nec non e tribus libris qui inscribuntur *Mūdjiż, Aechīrah* et *Kifājei-mudjāhidijeh*. Nomen auctoris iudici argumentorum praefixum simpliciter est *Mullā-Arzūni*. Ceterum liber absolutus esse dicitur eo tempore quo Imperator Indiae *Abū'z-zhafar* (sic) *Mo'hji-ed-din Mu'hammed Ewrenk-zīb* (vulgo Aurengzeb) urbem *Behdjeth-ābād* expugnasset. Dividitur in 26 capita (*abwāb*), quorum unumquodque ad aliquod genus morborum, vulnerum aliarumque noxarum cognoscendum et curandum pertinet. Singula capita in *fufūl* et *maqālāth* subdivisa sunt. *Chātīmeħ* s. epilogus (f. 456 sqq.) complectitur duo capita, unum de medicamentis compositis, quae ordine alphabetico recensentur, alterum de vocibus solennibus artis medicae, de morbis similibus inter se dignoscendis, de parandis quibusdam medicamentis, et de aliis medicinae subsidiis. Ultimum hoc caput non plane absolutum est. Libro extra ordinem foliorum praefixus est argumentorum index.

No. 346. Cod. pers. chart. orient., foll. 155, fol. min., char. nestha'liq scriptus, continens fabulam de vita et rebus gestis summi herois moslemici, *'Hamzah Ibn-'Abd-el-mutallebi*, patris Muhammedis, qui ad ultimum ab Hinda dolo occisus esse dicitur. (Cf. quae de nece ejus sunt in *Sunna El-Bochārii*, Cod. 374, f. 311 v. — 312 r.) Narratio nititur auctoritate *'Abbās Ibn-'Abd-el-mutallebi*, qui Hamzae frater fuit, nec non Prophetae ipsius, quippe qui eam ab illo traditam comprobaverit. In subscriptione liber appellatur *Djenk-nāmci-hadh-reth-emār-el-mūminin 'Hamzah Ibn-'Abd-el-mutalleb Ibn-Hāschim Ibn-'Abd-el-menāf*. Nomen auctoris praeter *Abū'l-maālī* nullum reperio. Scriptio a Scheich Mu'hammed Refi' Qoreischī 'Alewī absoluta est in urbe 'Azhīm-

ābād A. H. 1157 (Chr. 1744—5), quum Mu'hammed-Schāh Pādischāhi-ghāzi annum regni (chalifatus dicitur) sextum et vigesimum ageret. No. 347. Cod. pers. chart. orient., foll. 330, fol. min., char. neschi scriptus: Lexici persici, persice scripti, *Keschf-el-loghāth we'l-iftilā'hāth*, pars prior a litera elif usque ad literam sad, quae tamen (literam sad dico) non plane absoluta est. Auctor appellatur *'Abd-er-ra'hīm* aut *'Abd-er-ra'hman* (vox enim paene erasa est) *Ibn-A'hmed*. Inter persica etiam arabica plurime explicantur. In literis elif et zāi bibliopega magnas turbas edidit; e litera zāi nonnulla etiam bis exstant, primum loco suo, et deinde ad calcem libri repetita. Tabella, quam ab initio libri posuimus, horum rationem docebit.

X 348. Cod. pers. chart. orient., foll. 125, fol. min., char. nestha'liq nitidissimo scriptus. Insunt 1) f. 1 v. — 32 v. *Aufāf-el-Eschraf*, auctore eodem illo *Nafir-ed-din* Tūsensi, de quo vidimus in Cod. 343. In praefatione dicit, postquam libro illo placita Philosophorum de moribus regendis explicasset, sibi visum esse alio opere rationem Doctorum mysticorum de eadem re breviter comprehendere (*mochthafar der-bejāni-sijeri-culijāi-rūschen chli-bīnisch ber-qā'idēi-sālikāni-tariqath we-tālibāni-'haqīqath*). Primum se variis rebus impeditum esse, quo minus rem perficeret; sed tandem a Veziro persico, Mu'hammed Ibn-Ssā'hib-Es-Sa'id Behā-ed-din Mu'hammed El-Djūy, permotum esse ut hunc librum scriberet. Divisus est in sex *abwāb*, quae totidem veluti diaetis itineris ab Asceta peragrando respondent; et eorum unumquodque subdivisum est in sex *fufūl*, quae diaetarum illarum veluti singulas stationes ostendunt, et seriem virtutum asceticarum sensim sensimque comparandarum efficiunt. Solum caput ultimum de *fenā* et *theo'hid*, i. e. unione mystica cum Deo, subdivisionem non habet, quoniam in unione illa divisio nulla cogitari possit. 2) f. 33 r. — 125 v. Varia excerpta et collectanea dogmatica, moralia, praecipue ascetica, narrationes de viris